



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Detractionum origo, & radix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

querimoniam, sed solum Christo: prudentia enim est, illi tantum miseriam aperire, qui & congruum valet adhibere remedium. Sylveira hic q. 9.

Et ecce quidam homo hydropicus erat ante illum. Luc. 14. 2. Constituitur ante Jesum, non alios convivas: quia ille solus poterat mederi.

Vinum non habent. Jo. 2. 3. Cur B. Virgo vini defectum soli Christo manifestat? quia eximia ejus charitas amicorum defectum occultari volebat; & ideo non invitantibus, non ministris, pauperibus; sed Filio soli proponit: ille enim solus poterat juvare. Sylveira hic q. 15.

§. VI.

Detractionum origo, & radix.

Qui reddix mala pro bonis; Prov. 17. 13. Sicut lapides molares, si non habent, quod molant, rotatu suo se ita allidunt, ut ex iis, velut ex silice ignis elicitur, qui ingens excitat incendium. Sic lingua in familiaribus colloquiis, cum deest aliqua utilis materia, quam molat; ad proximorum detractiones, & contentiones, se vertit, ignemque discordiarum excitat. Cornelius hic.

Qui aliorum vitia libenter ex more carpit, peccati maculam non evadet: quia, licet Zelò justitiæ ferveat, aliquando necesse est, ut in laqueos detractionis impingat. Planè, nisi multum nobis nostra vita splenderet, non tantoperè nostris oculis aliena conversatio displiceret. Si districti circa nos essemus, ut dignum est, judices, non tam rigidos experiretur aliena vita censores. B. Petr. Dam. l. 6. ep. 30.

Detractio est proles odii; pinguis, & occulta, ac latens sanguifuga; quæ charitatis omnem consumit, ac demolitur, sanguinem. Jo. Climac. gradu 10. de detract.

Tria radicalia peccata sunt, ex quibus Detractio generatur. I. Est crudelis superbia. II. Crudelis stultitia. III. Crudelis invidia. S. Bernardinus t. 1. f. 23.

Servi expectantes Dominos suos, cum non habent, quò occupentur; accipiunt carbonem, & albos parietes inficiunt. Sic maleferiati, cum non habent aliud, quod loquantur; carbone maledictæ suæ linguæ albos parietes inficiunt. Sed sicut illi atri pictores manus proprias denigrant; sic hi animas suas. Diez. ser. 3. D. Pass.

§. VII.

*Motiva**Detractiones patienter ferendi.*

Si dormitis inter medios clericos &c. Pf. 67. 14. Hebr. *Si dormitis inter medios tri-*

podas, & ollas; ex quarum contactu denigrati aliquantum fueritis: scitote tamen, quòd tunc estis magis formosi, sicut columbæ, quæ argentatas, & candidas habent pennas; quibus ad cœlestia volent: & dorfum, quò ipsas tribulationes pertulistis, erit fulgenti charitatis aurò splendendum. De Ponte in Cant. 1. Exhort. 22. §. 1.

Detrahent mibi; ego autem orabam. Pf. 108. 4.

Quid desur tibi? aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Pf. 119. 3. hoc est, juxta expositionem S. Aug. & Euthymii, quòd tibi dabimus antidotum? quæ te consolatione reficiemus? cum te videris vulneratum linguâ dolosâ? *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoris.* Hæc tibi sit consolatio, quia jam pacata sunt sagittæ Dei ad judicium venturi, honoremque tuum defensuri. Osorius D. 1. Advent.

Et dixerint omne malum adversus vos mentientes. Matth. 5. 11. Laudat eos Christus D. qui patienter detractiones ferunt. Neque hoc satis; sed addit, *mentientes:* id est, ut ea, quæ nobis imponunt, longè absint à nobis. Pinna in Eccli 13. Ethol. 244.

Si patrem familias Belzebub vocaverunt. Matth. 10. 25. Quis curet calumniatorum verba: nam ab eorum ore nihil non spurcum, & foetidum, novit exire; cur ergo à stibulo conspurcari offenderis? Seneca l. 4. ep. 92. quanta dementia est, vereri, nè infamem ab infamibus. Quòd stibulum mittat à se stercus, nemo agrè fert; nec in sterquilinum quis iratus est, quòd foetorem emittat. Bæza t. 3. l. 14. §. 5.

Quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare, ubi pro existimatione nostra, quidquid rectè possumus, fecerimus; si aliqui de nobis, vel malè fingendo, vel malè credendo, famam nostram decolorare conantur; affit conscientia solatium, planèque etiam gaudium: quòd merces nostra magna est in cœlis, etiam dum dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen, justèque viventibus. Illa enim merces, tanquam stipendium est militantium, per arma justitiæ: non solum in dextra, verum etiam sinistra: per gloriam scilicet, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam. S. Aug. l. de bono viduit. c. 22.

Magna, & mirabilis, & omni acceptione digna, est misericordia DEI; quæ per malos quandoque contra justos duras, & graves infamias suscitare permittit: ut per aquam infamiae vinum nimis gratiosi nominis temperetur; nè justus mens incurrat spiritalem ebrietatem, unde deviare habeat à vero lumine virtutis. S. Bernardinus t. 1. f. 8. artic. 2.

Devotio. Vide Oratio. Sanctitas. Opera bona. Virtus.

